



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis Disciplinis & religione Christiana

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

83. De eadem re.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14622

num in Colbertino. Vtrobique autem extat in appendice prima libri quarti cap. xxxiv. Editio porrò vulgata istius capituli, quam etiam preferunt vetusti codices, multum diversa est ab ea quam refert Regino. Illud sane admonendum, pro eo quod Regino habet & patientiam habentes, in libris Capitularium scriptum esse & pœnitentiam agentes.

De faidis coërcendis.

LXXXI. Si quis aliqua necessitate cogente homicidium commisit, Comes in cujus ministerio res est perpetrata & compositionem facere & faidam per sacramentum pacificare faciat. Quòd si una pars ei ad hoc consentire noluerit, id est, aut ille qui homicidium fecit, aut is qui compositionem suscipere debet, faciat illum qui ei contradicit ad presentiam nostram venire, ut eum secundum tempus quod nobis placuerit in exilium mittamus, donec ibi castigetur, ut Comiti suo inobediens ulterius esse non audeat, & majus damnum non accrescat.

Lib. 4. Capitular. c. 27.
Lib. 1. Leg. Longob. tit. 9. c. 34.

De femina quæ virum per maleficium interficit. *Ex Pœnitentiali cap. xv.*

LXXXII. Mulier, si aliquos interimit arte malefica, id est, per poculum aut per aliquam artem, septem annis pœniteat. Si paupercula fuerit, quatuor annis pœniteat.

De eadem re. *Ex Concilio Helibertensi.*

LXXXIII. Si quis verò maleficio interficiat alterum, eò quòd sine idololatria perficiat.

Concil. Helib. c. 6.
Burchard. lib. 6. c. 26.

Qij